nis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia: Et ver. 34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Quæ vivendi forma ſervatur etiam nunc in Religioſis Ordinibus: in quibus omnia ſunt communia, & quilibet eſt contentus iis, quæ ſibi a Prælatis ſuis applicantur: & qui majori pace, & tranquillitate ab omni terrenarum rerum cura ſecreti, ſoli Deo inſerviunt.

VII. Notandum tamen eſt, non omnium rerum diviſionem factam fuiſſe jure Gentium. Nam ex communi omnium conſenſu plura omnibus remanſerunt communia, ut civitatis plateæ, viæ, aer, imber, mare, flumina, littora, feræ, gemmæ, & omnia in caſu neceſſitatis extremæ. Horum enim uſus eſt apud omnes, & apud nullos eſt eorum dominium; ſed primo occupanti conveniunt, ut feræ, piſces, gemmæ. Sunt etiam aliæ res non jure Gentium, ſed juribus particularibus diverſæ: ut quod Regnum Hiſpaniæ ſit hujus, Galliæ alterius: quod talis domus, vel ager ſit talis, vel talis domini. Hoc enim provenit; vel remote ex lege, aut conceſſione Principis, in quo ſenſu S. Auguſtinus, *in Joann.* dixit: *Hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſervus meus eſt. Jure ergo humano, Imperatorum.* Vel proxime ex pacto, conventione, emptione, donatione, hæreditate. Unde ex jure Gentium ſolum eſt illa communis, & generalis diviſio, nempe, quod res ſint dividendæ: diverſæ autem ſingulares rerum partitiones, ſeu quod hoc ſit hujus, illud vero alterius, ex juribus particularibus ortum duxit. Ita notarunt PP. Salmaticenſes hic, ex Bannez ad *qu. 62. de Dominio, qu. 3.* Leſſius, Soto &c. his ſuppoſitis.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VIII. HÆretici quidam, Apoſtolici nucupati, de quibus S. Auguſtinus, *lib. de Hæreſibus cap.* 40. proprium errorem ſæculo 4. ſparſerunt dicentes, Chriſtiano non licere aliquid proprium poſſidere: ideoque Apoſtolicos ſe nuncupabant, quia Apoſtolos (quos imitari falſo aſſerebant) nec pecuniam, nec aliquid proprium habuiſſe, nec aliquid in craſtinum reſervaſſe, imo nihil horum Apoſtolis licuiſſe, dicebant. Quare etiam *Apoſtatici*, hoc eſt, *Renuntiatores* vocabantur, nullum in ſuam communionem recipientes, qui omnibus, quæ poſſidebat, non renuntiaſſet. Hanc hæreſem renovarunt, circa annum 1295. teſte Alphonſo de Caſtro *lib. 2. de Hæreſ. V. Apoſtoli, hæreſ. 3.* quidam Pſeudoapoſtoli nuncupati, ducibus Gerardo Segarello Parmenſi, & Dulcino Novarienſi; quibus tamen merito ſupplicio interemptis, error quoque interiit. Catholica tamen veritas ſemper fuit, poſſeſſionem, & dominium rerum temporalium, quovis tempore, & etiam in lege Evangelica licuiſſe, & licere.

IX. Dico. Rerum diviſio, & dominium licitum fuit ante Chriſtum, & poſt Chriſtum adhuc licitum eſt Chriſtianis. Prior pars conſtat exemplis. Tum Abelis, qui juſtus erat, & tamen habebat gregem ſuum: quare primogenita gregis ſui obtulit Deo, *Geneſ. 4. ver. 4.* Tum Abrahami, & Jacob, qui armenta, & greges multos propria induſtria comparatos poſſederunt. Deus inſuper diviſit terram Chanaam Iſraelitis, ſingulisque Tribubus partem ſuam diviſit: quod certe non feciſſet Deus, ſi rerum diviſionem, & dominium non approbaſſet.

X. Secunda pars, quod etiam poſt Chriſtum liceat Chriſtianis rerum diviſio, & dominium, conſtat primo. Quia, ut *Dub. præced.* oſtendimus, Chriſtus ipſe ſaltem in communi cum Apoſtolis loculos, & pecuniam habebat, quibus neceſſaria ad victum ſui, & Apoſtolorum emebantur, ut conſtat, *Joann. 4. & 13.* Secundo. *Luca* 19. Zachæus dives ſolum dimidio bonorum ſuorum pauperibus erogaverat, & dimidium retinuerat ſibi: & tamen ob hoc non reprehenditur, ſed, *ver.* 9. reſpondit ei Jeſus: *Hodie ſalus domui huic* (ideſt Zachæi) *facta eſt.* Tertio, *Marci* 14. *ver.* 7. dixit Chriſtus: *Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis, poteſtis illis benefacere.* Sed quomodo poſſent Apoſtoli illis benefacere, niſi habuiſſent de ſuo? Forſan de alieno? Abſit. Non enim eleemoſynam de alieno facere licet; ergo licuit Apoſtolis proprium habere. Quarto. Nullo unquam tempore neceſſe fuit, ut qui converterentur ad fidem, abjicerent divitias; ut patet ex Actibus Apoſt. & Epiſtolis S. Pauli. Referuntur quidem, ut ſupra notavimus, Chriſtiani tempore Apoſtolorum agros ſuos vendidiſſe, & pecuniam ante pedes Apoſtolorum poſuiſſe, ut in communi viverent: ſed hoc non ex præcepto, ſed voluntarie, ut modo Religioſi, fecerunt. Tandem ut notat S. Thom. 3. Contra Gentes cap. 127. Apoſtolus 1. ad Timoth. ultimo: *Divites non condemnant; ſed eis certam regulam divitiis utendi dicens:* Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus &c.

§. III.

Contraria Solvuntur.

XI. PRimo objicies S. Baſilium in Serm. ad divites avaros, ſuper illud Lucæ 12. *Deſtruam horrea mea,* dicentem: *Sicut qui præveniens ad ſpectacula prohiberet advenientes, appropriando ſibi, quod ad communem uſum ordinatur; ſimiles ſunt divites, qui communia præoccupaverunt, æſtimantes ſua eſſe:* ſed qui alios præveniens prohiberet a communi ſpectaculo, injuſte ageret; quia contra jus naturale eſt, præcludere viam aliis in communibus bonis; ergo a pari.

XII. Reſpondeo ex D. Thom. 2. 2. *qu. 66. art. 2. ad 2.* diſt. minor. Injuſte ageret, quia præveniens alios, nego min. quia prohibens alios a communi ſpectaculo, conc. min. *Ille* (inquit S. Doct.) *qui perveniens ad ſpectacula prepararet aliis viam, non illicite ageret: ſed ex hoc illicite agit, quod alios prohibet. Et ſimiliter dives non illicite agit, ſi præoccupans poſſeſſionem rei, quæ a principio erat communis, aliis etiam communicet. Peccat autem, ſi alios ab uſu illius indiſcrete prohibeat.* Unde per hoc damnatur abuſus dominii, non uſus.

XIII. Hoc, ut melius percipiatur, noto cum S. Thom. ibi *in corp.* Quod circa res exteriores duplex poteſt eſſe proprietas. Una quantum ad poſſeſſionem, quæ eſt poteſtas procurandi, & diſpenſandi: & quantum ad hoc licitum eſt, ut homo propria poſſideat, eſtque neceſſarium ad humanam vitam, propter tria. Primo. Quia magis per hoc procurantur, & diſpenſantur res: magis enim ſoliciti ſumus circa propria, quam circa communia. Secundo. Quia ordinatius, & ſine confuſione tractantur res, ſi ſingulis immineat propria cura alicujus rei procurandæ: eſſet autem confuſio, ſi quilibet indiſtincte quælibet procuraret. Tertio. Quia per hoc magis pacificus ſtatus hominum conſervatur: dum unuſquiſque de re ſua contentus eſt.

Altera proprietas eſt quantum ad uſum: ita ut quis exiſtimet, de bonis, quæ poſſidet, nulli alteri eſſe tribuendum. Et hoc hominis avari vitium eſt. Nam, ut ait S. Doct. quantum ad uſum: *Non debet homo habere res exteriores, ut proprias, ſed ut communes; ut ſcilicet de facili aliquis eas communicet in neceſſitate aliorum. Unde Apoſtol. dicit* 1. ad Timoth. ultim. *Divitibus hujus ſeculi præcipe, facile tribuere, communicare de bonis &c.* Et *ad* 3. ait: Quod cum *Ambroſius dicit,* Serm. 64. Nemo proprium dicat, quod eſt commune, *loquitur de proprietate quantum ad uſum.*

XIV. Secundo objicies, & replicabis, S. Thom. 2. 2. *qu. 66. art. 1.* docet, res exteriores ſubjacere humanæ poteſtati, quantum ad uſum, ſoli autem divinæ poteſtati quantum ad naturam: ideoque ſolus Deus poteſt eam mutare; ergo homo non habet dominium ſupra illas. Conſ. prob. Quia homo habet tantum uſum, & cuſtodiam vitæ ſuæ, non eſt dominus vitæ ſuæ, neque poteſt vitam ſibi tollere; ergo ſi homo rerum exteriorum habet tantum uſum, & procurationem, non poteſt de illis diſponere, eas a ſe auferendo, neque erit earum dominus.

XV. Reſpondeo, neg. conſeq. Vult enim ſolum S. Thom. quod ſolus Deus poteſt rerum exteriorum naturam mutare omnibus modis, creando, in nihilum redigendo, & aliquid ſupra earum naturam in eis operando. Sed homo nihilominus dominium habet ſuper illas, quia poteſt in multos uſus, imo & in omnes lege permiſſos eis uti: ita ut ſi animata ſint, poſſit eis vitam auferre. Et ratio eſt: quia ſunt propter hominem facta. Hoc autem dominium non habet homo ſupra propriam vitam: *Quia vita* (ait S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 5.) *eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus poteſtati ſubjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui ſe ipſum vita privat, in Deum peccat: ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in dominum, cujus eſt ſervus: & ſicut peccat ille, qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet judicium mortis, & vitæ ſecundum illud, Deuteron.* 32. Ego occidam, & ego vivere faciam.

XVI. Tertio objicies. Ideo rerum diviſio utilis, & bona eſſet, quia per illam ſervaretur pax in Republica, lites vitarentur &c. ſed hoc melius haberetur, ſi omnia eſſent communia; ergo &c. Min. probat. primo. Nam videmus, omnes lites, & diſcordias oriri ex meo, & tuo; eo quod quilibet intendit tueri, & defenſare ſua propria. Secundo. Non eſſent rapinæ, & furta, neque æmulationes, & odia; quæ regulariter proveniunt ex eo, quod unus poſſidet plus, alter minus. Non eſſet avarities; quia hic amor inordinatus ex proprio ortum habet.

XVII. Hac ratione moti Socrates, & Plato ſtatuerunt, in Republica communitatem eſſe ſervandam, non ſolum in poſſeſſionibus, ſed & in uxoribus, & filiis. Attamen

Reſpondeo, neg. min. ad primam probationem: non nego, ex meo, & tuo aliquas interdum lites oriri: ſed quot magis orirentur, ſi omnes homines in communi viverent? Videmus enim, ſi duo fratres conſtituti ſint hæredes a patre; non quieſcere, donec hæreditatem communiter relictam inter ſe dividant, & in diviſione rariſſime concordantur. Societates inter mercatores, inter peregrinantes communibus expenſis iter agentes, in rationum, & expenſarum redditione, & computu in lites terminant. Hujus exemplum habemus *Geneſ.* 13. ubi refertur rixa inter paſtores Abrahæ, & Loth, eo quod communiter habitarent, & indiſtincte curarent greges; cui vitandæ nullum aliud remedium fuit, niſi ſeparatio, & diviſio. Quæ autem & quanta rixa orta fuerit inter Jacob, & Laban, ſatis oſtendunt *Geneſis capita* 30. *&* 31. Quanto ergo majores rixæ, ac violentiæ eſſent inter Cives unius Civitatis, ſi omnium bonorum poſſeſſionem communem haberent?

Ad ſecundam probat. Dico, quod ſtante humana avaritie, & habendi cupiditate ex peccato contracta, multo plures eſſent rapinæ, & furta, quibus, quæ communia eſſent, ſibi homines appropriare tentarent. —— Nec deeſſent æmulationes, & odia; Quod oſtendo hoc diſcurſu. Si enim poſſeſſiones eſſent communes, oporteret eas colere. Vel ergo omnes colerent; & hoc eſſet impoſſibile: quia oporteret Majores majoribus officiis vacare, nempe conſulere, judicare, dominari, malos punire &c. aliter Reſpublica confunderetur. Oporteret ergo, ut ſolum ab aliquibus Civibus colerentur, nempe a minoribus, qui majoribus officiis inepti eſſent. Atqui hinc ſtatim æmulationes, & odia orirentur. Nam Majores magis de fructibus agrorum vellent, quia digniores, & majoribus officiis deputati: minores autem plus vellent, quia plus in colendis agris laboraſſent. Unde lites, diſſidia &c. Videautur Javellus, *Tom. 1. Epit. Lib. 2. Politic. Tract. 1. c. 2. & Æconomiæ Chriſtianæ, Tract. 6. cap. 2.*

XVIII. Quarto objicies. Saltem Chriſtiano viro non eſſe licitum proprium poſſidere. Primo, *Luca 14. v. 33.* ait Chriſtus: *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* ſed eſſe diſcipulum Chriſti, eſt eſſe Chriſtianum; ergo qui non renuntiat &c. non poteſt eſſe Chriſtianus.

Secundo. *Matth* 19. Juveni cuidam Chriſtum interroganti, quid faciendo vitam æternam poſſideret; reſpondit Chriſtus, ut ſervaret mandata, cumque reſpondiſſet, ſe ea cuſtodiſſe a juventute ſua, & rogaret, quid adhuc ſibi deeſſet: reſpondit Chriſtus, v. 21. *Vade, vende quæ habes; & da pauperibus;* ergo ad vitam æternam conſequendam, ultra obſervantiam mandatorum, requiritur abdicatio omnium, quæ poſſidentur.

Præterea: cum hoc audito adoleſcens ille abiiſſet triſtis: *Erat enim habens multas poſſeſſiones,* Chriſtus ad ſuos converſus, ait v. 24. *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum.* Cumque Diſcipuli exterriti exclamarent: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Reſpondit: *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem poſſibilia ſunt.* Ex quibus ſic arguo. Qui poſſidet divitias, exponit ſe periculo amittendi vitam æternam, a quo nequit ſine miraculo eximi; ſicut ſine miraculo nequit camelus per foramen acus tranſire: ſed qui tali periculo ſe exponit, a quo ſine miraculo liberari non poteſt, peccat: ſicut peccat ille, qui cohabitat concubinæ in occaſione proxima peccati, a quo tamen poſſet eximi per miraculum; ergo &c.

XIX. Reſpondeo, nego ant. Ad primam probat. expono verba Chriſti, ſic. Qui non renuntiat, quoad rem, non poteſt &c. nego, quod hæc ſit mens Chriſti. Qui non renuntiat, quoad affectum inordinatum, concedo. Senſus ergo verborum Chriſti eſt: qui non renuntiat præparatione, & affectu, nec paratus eſt amittere omnia temporalia, neceſſitudines omnes carnales poſtponere, vitam ipſam devovere, ſi ſalva fide, & pietate retineri nequeant; non poteſt officium implere Chriſtiani, qui omnibus bonis temporalibus debet Chriſtum, & animæ ſuæ vitam præferre. Et quod hæc fuerit mens Chriſti, patet: quia dicta verba protulit occaſione eorum, qui ad cœnam vocati, præ nimia terrenorum cura, & amore, recuſaverunt intrare.

XX. Ad ſecundam probationem, diſt. ſimiliter conſeq. Abdicatio, quoad affectum, ut, nempe, homo paratus ſit ob vitam æternam omnia temporalia dimittere, conc. conſeq. Abdicatio, quoad actum, nego conſeq. Actualis enim, & voluntaria abdicatio temporalium, per ſe, ſolum eſt inſtrumentum, & via ad perfectionem, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 184. *a.* 3. & *q.* 185. *a.* 6. *ad* 1. Quia vero deprehendit Chriſtus, adoleſcentem illum non eſſe paratum dimittere bona temporalia propter æterna, ſed pluris facere illa, quam iſta, ideo ineptum pronuntiavit eſſe regno Dei.

Hinc ad id, quod additur, reſpondetur, Chriſtum ibi non loqui de divitibus, qui habent divitias, ſed qui a divitiis habentur; quique divitiis ſerviunt, & earum amore parati ſunt bona ſpiritualia amittere. Quaſi diceret: æque impoſſibile eſt, divitem cum amore, & cupiditate divitiarum inordinata ſalvari, ac camelum intrare per foramen acus. Non ergo divitiæ hominem exponunt periculo damnationis: multi enim divites fuerunt, ſimulque ſalvi ſunt, & ſancti: *Quinimmo* (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 6. ad 1.) *poteſt eſſe ſumma perfectio cum magna opulentia. Nam Abraham, cui dictum eſt, Geneſ.* 17. Ambula coram me, & eſto perfectus, *legitur fuiſſe dives.* Sed nimius, & inordinatus amor divitiarum, ut nimia ſpes in illis ponatur. Dum vero addidit Chriſtus, apud homines impoſſibile eſſe, quod homo amans divitias ſalvus fiat; voluit indicare, eſſe impoſſibile homini viribus naturæ, eſſe tamen poſſibile viribus gratiæ. Unde ſubdit: *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Nec etiam ad deponendum divitiarum amorem tanta gratia neceſſaria eſt, quanta neceſſaria foret, ut camelus per foramen acus tranſiret; vel quis in occaſione proxima non peccaret. Nam ad hoc requireretur gratia extraordinaria: ad illud vero ſufficeret gratia, ſpecialis quidem, ſed ordinaria. Non enim bona externa divitiarum adeo vehementer irritant ſenſum, quantum delectationes venereæ.

XXI. Quinto objicies contra idem. Id vitæ genus viro Chriſtiano licet, quod ab Apoſtolis, ac primitivis Chriſtianis ſervatum eſt: atqui Apoſtoli, & primitivi Chriſtiani, exemplo Chriſti in communi vivebant: unde omnes habentes prædia vendebant, & pretia ante pedes Apoſtolorum ponebant, ut ex Actibus Apoſt. *cap.* 4. ſupra oſtendimus; ergo &c.

XXII. Reſpondeo in primis, quod non omnes, adhuc tempore Apoſtolorum, qui ad fidem veniebant, divitiis renuntiabant; ſed aliqui ſolum majoris perfectionis ſtudio. Alii vero divitias retinebant: verum quidem eſt, quod nimio earum amore non tenebantur; ſed partem non modicam in Fidelium pauperum levamen erogabant. Hinc ex Fidelium eleemoſynis formabantur collectæ, quæ in Jeruſalem mittebantur, de quibus Paulus, 1. *Cor.* 16. *verſ.* 1. *&c.* Propterea idem Paulus, 1. *Corinth.* 7. *v.* 30. non præcipit Corinthiis, ut divitias abdicent: ſed, ut qui Emunt ſint *tamquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur,* ideſt, ne nimio erga divitias amore ferantur. Et 1. *ad Timoth.* 6. ſcribit Timotheo, non ut divitibus abdicationem divitiarum intimet; ſed ut in eis ſpem non ponant: *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum &c.*

XXIII. Reſponderi etiam poteſt cum Javello, Œconomiæ Chriſt. *Tract. 6. c. 2.* quod Chriſtianus populus in duplici ſtatu conſiderari poteſt. Nimirum in primo, ut fuit temporibus Apoſtolorum; & in ſecundo, qui incœpit poſt Apoſtolos, eorumque primos ſucceſſores. In primo ergo ſtatu decens erat, ut omnia bona inter Fideles eſſent communia. Tum quia: recenti Chriſti, & Apoſtolorum exemplo commoti, majori perfectioni inhiabant. Tum quia: eis erat cor unum, & anima una. Quo fiebat, ut unuſquiſque eo, quod ſibi diſtribuebatur contentus eſſet, & bona communia quaſi propria curaret. Verum quia hujuſmodi vivendi forma, tractu temporis multiplicatis toto orbe Chriſtianis, ſumme difficilis viſa eſt; quia etiam repugnat appetitui ſenſitivo, qui vehementi cupiditate quærit quæ ſua ſunt; ac refrigeſcente charitate, Chriſtianis proprium concedere generaliter prudens conſilium fuit: rerumque communitas, & proprii abdicatio apud ſolos Monachos remanſit, auctore S. Baſilio apud Græcos, & S. Benedicto apud Latinos, quos ſubſequentium Regularium Ordinum Inſtitutores imitati ſunt. Et hic eſt ſecundus ſtatus, in quo, ut omnes vident, propter rationes ſuperius allatas, rerum diviſionem, etiam apud Chriſtianos, locum habere congruum fuit.

DUBIUM V.

An etiam Viris Eccleſiaſticis, imo & ipſi Eccleſiæ Proprium, ac Dominium temporale habere licitum ſit?

§. I.

Errores circa hoc.

I. COntra proprietatem, & dominium Eccleſiaſticorum, & Eccleſiæ conclamant ad hæc uſque tempora hæretici. Pauperes de Lugduno, qui & Waldenſes a Waldone quodam Cive Lugdunenſi nuncupati ſunt, circa annum 1160. inter alios errores, hunc aſſerebant, Sacerdotes pauperes eſſe debere, & ſola contentos eleemoſyna: & quod Eccleſia Romana ſub Sylveſtro defecerit, cum venenum poſſeſſionum temporalium in Eccleſiam infuſum eſt.

II. Hunc errorem inter plures alios adoptavit Wicleffus, natione Anglus, anno 1375. Aſſerebat enim primo. *Contra Scripturam eſſe, quod viri Eccleſiaſtici habebant poſſeſſiones, & ditare Clerum eſſe contra regulam Chriſti.* Secundo. *Sylveſtrum Papam, & Conſtantinum Imperatorem erraſſe, Eccleſiam ditando.* Tertio. *Quod Imperator, & Domini ſeculares ſeducti ſunt a Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.* Quarto. *Quod Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſiones habentibus, ſunt hæretici; eo quod poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet domini ſeculares, & cæteri laici.* Quinto. *Quod Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones.* Aliaque impudentiſſimus homo evomuit, cui libenter ſubſcripſere Lutherus, Calvinus, Henricus VIII. Angliæ Rex: quorum præcipuus furor in Civitatibus, Provinciis, ac Regnis eorum hæreſi contaminatis, fuit Eccleſias, & Eccleſiaſticos bonis ſpoliare. Attamen dogma Catholicum eſt, poſſe Eccleſiam, viroſque Eccleſiaſticos bona temporalia poſſidere.

§. II.

Reſolutio prior.

III. DIco primo. Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis viris abſolute licitum eſt habere proprium, & rerum temporalium poſſeſſionem. Conſtat primo ex jam dictis. Vidimus enim, Apoſtolos Eccleſiaſticorum normam, una cum Chriſto aliquid, ſaltem in communi, poſſediſſe. Nam Judas omnium nomine loculos habebat, quibus eorum victui neceſſaria emeret, & pauperibus eleemoſynam erogaret, ut habetur *Joann. 13. v. 29.* & ſuperius expendimus. Ex quo S. Auguſtinus Tract. 62. in Joann. *Habebat ergo* (inquit) *& Dominus loculos, & a Fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentiis tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſtica pecuniæ forma eſt inſtituta: ubi intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum ut nihil pecuniæ ſervetur a ſanctis: ſed ne Deo pro iſta ſerviatur, & propter inopiæ timorem juſtitia deſeratur. Nam & Apoſtolus in poſterum providens, ait: Si quis Fidelis habet viduas; ſufficienter tribuat eis, ut non gravetur Eccleſia, quo veris viduis ſufficere poſſit.* Ideſt ne earum alimoniis gravetur Eccleſia; ut iis viduis, quæ omni ſubſidio deſtitutæ ſunt, ſuſtentandis ſufficiat. Idem conſtat ex illo *Joann. 4. verſ.* 8. ubi dicitur, quod *Diſcipuli abierunt in Civitatem ut cibos emerent.* Habebant ergo pecuniam propriam, qua ſuis, & Chriſti neceſſitatibus ſubvenirent.

IV. Secundo prob. Sacerdotes veteris legis habebant poſſeſſiones, & agros: nam *Joſue* 21. poſtquam populus Iſrael adeptus fuit terram promiſſionis, Levitica Tribus, unde Sacerdotes ſumebantur, ex præcepto Domini accepit ab aliis

Tribubus quadraginta & octo Urbes ad habitandum, cum ſuburbanis ad alendi pecora ſua; decimas etiam omnium terræ naſcentium, & omnium pecudum accipiebant Levitæ. Si ergo hoc licebat Levitis, cur non licebit Sacerdotibus novæ legis; cum hoc non legatur a Chriſto interdictum; imo ſuo, & Apoſtolorum exemplo, vel comprobatum, vel ſaltem permiſſum? Si enim Paulus 1. *Timoth.* 3. exigit ab Epiſcopo hoſpitalitatem, bene regere domum ſuam; quomodo hoſpitalitatem exercere poſſet, qui nihil proprium haberet? Quomodo domus ſuæ curam gereret, ac ei provideret, qui nihil poſſideret?

V. Hinc utrique Eccleſiæ Orientali, & Occidentali, poſt Apoſtolorum, uſque ad Conſtantini tempora, ſua fuerunt bona, poſita primo in oblationibus, & collectis, deinde in agris, prædiis, patrimoniis, quibus Eccleſiam donabant Fideles. Unde Conſtantinus Lege Imperiali, quam refert Euſebius, *lib.* 2. *de Vita Conſtantini c.* 39. Statuit, quæcumque bona Eccleſiis erepta, etiam fiſco applicata, Eccleſiis reſtitui: *Neque enim* (inquit) *vel fiſco concedetur, ſi quid eorum, quæ ſupra dixi, poſſideat, id firmiter retinere . . . omnia ergo, quæ ad Eccleſias recte viſa fuerint pertinere; ſive domus, ac poſſeſſio ſit, ſive agri, ſive horti, ſive quæcumque alia: nullo jure quod ad dominium pertinet, imminuto, ſed ſalvis omnibus, atque integris manentibus, reſtitui jubemus.* Quibus apparet, jam ante Conſtantinum, ſub Imperatoribus Ethnicis, Eccleſiam bona poſſediſſe; quæ poſtea pius Imperator munificentiſſime auxit, ut omnibus compertum eſt. Imo eadem lege *cap.* 36. ſtatuerit, bona Martyrum, ſi nullus cognatus ſuperſit, jure hæreditatis ad Eccleſias devenire. Quibus moti multi bona ſua Eccleſiis obtulerunt; & ipſe S. Gregorius Nazianzenus omnia ſua Eccleſiæ ſuæ legaſſe legitur: ſicut & S. Ambroſium omne aurum, & argentum Eccleſiæ, vel pauperibus contuliſſe, prædia vero ſua donaſſe Eccleſiæ, ſcribit Paulinus in ejus vita. Ubi duo conſideranda occurrunt. Unum, quod viri Eccleſiaſtici ſanctiſſimi prædia, & bona poſſidebant: alterum, quod ea Eccleſiæ legarunt. Ergo bona poſſidere, tum Eccleſiæ, tum Eccleſiaſticis viris non eſt illicitum. Ut enim ait S. Th. 2. 2. quæſt. 185. art. 6. ad 2. *Stultum videtur dicere, quod tot Sancti Pontifices, ſicut Athanaſius, Ambroſius, & Auguſtinus, illa præcepta tranſgreſſi fuiſſent, ſi ad ea ſervanda ſe crederent obligati.*

VI. Ratio S. Thomæ citati hæc eſt. Si Epiſcopi, Paſtores, aliique Eccleſiaſtici proprium habere non poſſent, hoc eſſet, vel ex præcepto, vel ex voto eorum ſtatui annexo: ſed neque adeſt præceptum: *Vivere enim abſque proprio ſupererogationis eſt: non enim cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Unde Matth.* 19. *cum dixiſſet Dominus adoleſcenti*: Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata, *poſtea ſuperaddendo ſubdit*: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Non autem Epiſcopi in ſua ordinatione ad hoc ſe obligant ut ſine proprio vivant. Neque etiam vivere abſque proprio, ex neceſſitate requiritur ad paſtorale officium, ad quod ſe obligant, ergo non tenentur Epiſcopi ad hoc, quod ſine proprio vivant.* Hæc S. Thom.

VII. Quia vero bona, quæ poſſunt habere Eccleſiaſtici, triplicis generis poſſunt eſſe. Primo. Patrimonialia, qualia ſunt quæ vel hæreditate, vel induſtria, vel donatione, vel alio modo, ut laici, acquirunt. Secundo. Quaſi patrimonialia, quæ acquirunt non ratione Beneficii, ſed dicendo Miſſas, audiendo Confeſſiones, aſſiſtendo Choro, docendo, agendo Vicarias temporales. Tertio. Mere Eccleſiaſtica, ut ſunt ea, quæ recipiuntur ratione Epiſcopatus, canonicatus, vel alterius Beneficii. Quæ adhuc ſunt in quintuplici differentia. Primo. Quædam ſunt immobilia, ut villæ, caſtra, prædia, & alia hujuſmodi a Fidelibus donata Eccleſiæ. Secundo. Annui redditus deputati pro aliquo in Eccleſia agendo. Tertio. Sunt decimæ. Quarto. Oblationes quotidianæ. Quinto. Bona utenſilia, ut Sacræ veſtes, Calices, Ornamenta.

VIII. Idcirco ſciendum primo: quod in bona patrimonialia Clerici, ſi non ſint Religioſi voto paupertatis adſtricti, habent verum dominium. Nam ut dicebamus cum S. Thoma, per Clericatum, nec fiunt incapaces dominii, nec intendunt ſe abdicare dominio. Idem dicendum puto de bonis quaſi patrimonialibus: quia hæc dantur, vel per modum eleemoſynæ ſub certo onere, vel per modum ſtipendii, ſeu mercedis pro labore, vel pro aſſiſtentia, uti ſunt quotidianæ diſtributiones: eadem enim de his ratio cenſenda eſt, ac ſtipendiis pro aliis miniſtris, juxta illud Pauli 1. Corinth. 9. v. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* Nec refert, quod aliquando excedant laborem: Nam libere ad hoc inſtituta ſunt a Fidelibus.

Idem dicendum eſt de fructibus, quos percipiunt de bonis, ſive immobilibus, ſive de gregibus, ſive decimis, ſive oblationibus, ſaltem quoad eam partem, quæ eorum honeſtæ ſuſtentationi neceſſaria eſt. Id colligitur ex eodem Paulo, citato loco, ubi ſubdit: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Sunt enim fructus, decimæ, oblationes merces, vel fructus ſervitii, & laboris. Unde pergit Paulus v. 10. *Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* Inde infert: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Quod Chriſtus ipſe dixerat, Matth. 10. v. 10. & Lucæ 10. v. 7. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.*

IX. Sed difficultas eſt de ea parte fructuum, quæ non eſt neceſſaria perſonæ, vel ſtatui, ſed ſuperflua.

In quo, Sententia, in qua conveniunt celebriores Theologi, & Canoniſtæ, eſt, Clericos illius partis redundantis non eſſe dominos, ſed tantum diſpenſatores; ita ut ex juſtitia teneantur, eam in pias cauſas erogare, & ſi ſecus fecerint, teneantur ad reſtitutionem. Ita Covarruv. in *cap. cum Officiis de Teſt. c.* 3. citans alios plures. Quod Navarro extendit etiam ad penſiones ex redditibus Eccleſiæ: nam res tranſeunt cum ſuo onere. Et probatur primo. Quia in Sacris Canonibus dicuntur bona Eccleſiaſtica donata Domino, Deo ut patet 1. 3. *q.* 2. *cap. Qui Chriſti.* Et *q.* 1. *cap. Res Eccleſiaſtica.* Secundo. Quia Eccleſia ſemper intellexit, bona hujuſmodi pertinere ad pauperes, ad viduas, & alias pias cauſas, ut 12. qu. 1. cap. *Præcipuus*, & cap. *Ex his*. Tertio. Quia ſi eſſent domini, non prohiberentur de illis teſtari: at proibentur jure Canonico. Quarto. Quia Canones vocant illos tantum diſpenſatores, & non dominos, ut 16. quæſt. 1. cap. *Decimæ* 23. quæſt. 7. cap. *Quod autem*. Et Extravag. *de Donationibus* cap. 2. Quinto. Quia in aliis Canonibus vocantur raptores, & interfectores pauperum, qui ejuſmodi ſuperflua non elargiuntur, ut diſt. 42. cap. *Ordinamus* & 12. q. 2. cap. *Gloria*. Tandem quia Fideles ea conditione dederunt bona ſua Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis, ut ex ſuperfluis alerent pauperes.

X. Quia tamen præfata ſententia videtur rigida, temperandam eſſe judico cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. Quod bona Eccleſiaſtica, alia ſunt diſtincta pro tali uſu; alia ſunt confuſa, relicta nimirum Epiſcopo, vel Clerico abſque ulla diſtinctione, vel ſpeciali obligatione: *Si ergo* (inquit S. Th.) *diſtincta ſint bona, quæ debent in uſum Epiſcopi cedere, ab his, quæ ſunt pauperibus, & miniſtris, & cultui Eccleſiæ eroganda: & aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in uſum miniſteriorum, aut in cultum divinum expendenda: non eſt dubium, quin contra fidem diſpenſationis agat. & mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur.*

Loquens autem de his, quæ ſuo uſui deputata ſunt, ait: *De his autem, quæ ſpecialiter ſunt ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis: ut ſcilicet, propter immoderatum affectum peccet quidem, ſi immoderate ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum charitatis.* Ex quibus infertur, Clericos dominos eſſe fructuum Beneficiorum ſibi aſſignatorum; & peccare quidem, ſi eos non expendant in pios uſus, quoad ſuperfluum, ſed ad reſtitutionem non teneri.

Si vero (pergit S. Thom.) *non ſunt prædicta bona diſtincta, eorum diſtributio fidei ejus committitur: & ſi quidem in modico deficiat, vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento: quia non poteſt homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero ſit multus exceſſus, non poteſt latere: unde videtur bonæ fidei repugnare. Et ideo non abſque peccato mortali.* Non dicit autem teneri ad reſtitutionem.

§. III.

An Romanus Pontifex habere poſſit Dominium Temporale?

XI. NEgant hæretici, præſertim Calvinus, Petrus Martyr, Magdeburgenſes. Et dicunt primo. Jure divino Pontificem, ſeu Eccleſiam Romanam nullum habere dominium temporale. Dicunt ſecundo. Non licuiſſe Pontifici, aut aliis Epiſcopis accipere temporale dominium in Urbes, ac Provincias, quod modo habent, ſive dono, ſive uſurpatione. Primum ergo illis concedimus: neque enim ſumus in ſententia aliquorum, volentium Pontifici Romano, & Eccleſiæ jure divino dominium temporale competere, ut infra dicetur. Cæterum.

XII. Dico ſecundo. Non repugnare juri divino, quod Pontifex, & Eccleſia ſimul cum ſpirituali habeat etiam dominium temporale: ideoque juſte, & licite illud exercet ſupra Urbes, & Provincias, aliaque bona, quæ poſſidet. Prima pars probatur. Nuſquam enim id legitur lege divina prohibitum. Nam in lege naturæ Melchiſedech fuit Rex, & Pontifex, *Gen.* 14. *v.* 18. *Hebr.* 7. *v.* 1. Item in lege ſcripta Moyſes, Heli, Machabæi præter juriſdictionem ſpiritualem, & Sacerdotium, etiam temporalem habuerunt. In lege autem Evangelica nullum adeſt præceptum Chriſti vetans Eccleſiæ, & Sacerdotibus ſuis temporalium dominium: nullum Apoſtolorum, vel Conciliorum decretum id vetans: nullo voto poſſeſſionum juri renuntiavit Eccleſia, aut miniſtros ſuos renuntiare juſſit. Imo quotquot Imperatores, & Principes, qui bona temporalia Pontifici Romano, & aliis Epiſcopis, nec non principatus temporales donarunt, ut Conſtantinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, tamquam pii commendantur. E contra vero, qui ejuſmodi principatus eiſdem eripere conati ſunt, ut Haiſtulphus Rex Longobardorum, Henricus IV. & V. Otho IV. Fridericus I. & II. qui Eccleſiæ terras invaſerunt, tamquam injuſti ab omnibus reprehenduntur. Recolenda ſunt, quæ ſupra diximus, §. præcedente.

XIII. Secunda vero pars probatur. Si enim licite Eccleſia, & Romanus Pontifex bona ſibi donata ab Imperatoribus acquiſivit; ergo juſte, ea retinet ac gubernat. Quis enim vetuit Eccleſiæ, bona ſibi ex Principum, aut aliorum largitate donata, acceptare? Forte quia Chriſtus Lucæ 14. 1. 33. *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus?* At hæc erat inſtantia Juliani apoſtatæ, qui bona etiam patrimonialia Chriſtianis auferens, dicebat: Chriſtus veſter dicebat in Evangelio; qui non renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. Deinde Joſeph ab Arimathæa dicitur fuiſſe dives, & nihilominus diſcipulus Jeſu pronuntiatur. *Matth.* 17. *v.* 57. Lazarus, & ſorores dicuntur fuiſſe divites, & poſſeſſores caſtelli; & nihilominus Chriſtus illum,

illum, & iſtas amicitia ſua dignatus eſt, nec renutiare coegit. Sed quid plura? Chriſtiani omnes diſcipuli Chriſti eſſe debent; & nunquid omnes his, quæ poſſidebant, renuntiant? Imperatores, Reges, dum ad fidem veniebant, retinebant imperia, & diſcipuli erant. Et ipſi hæretici Proteſtantes, qui (licet falſo) ſe Chriſti Diſcipulos jactant, cur omnibus, quæ poſſident, non renuntiant? Si ergo hoc non creditur eſſe præceptum factum omnibus Chriſtianis; ergo nec fuit factum Apoſtolis, licet eſſent Chriſti diſcipuli; ergo nec fuit factum Pontifici Romano, & Epiſcopis: qui etſi retineant ea, quæ poſſident, non deſinunt eſſe Chriſti diſcipuli.

XIV. Dicit Calvinus, *l.* 4. *Inſt. c.* 11. §. 8. *&* 9. officium Epiſcopi, ac Paſtoris ſeparatum fuiſſe ab officio Principis; cum *Matth.* 20. *v.* 25. & *Lucæ* 22. *v.* 25. Chriſtus dixit: *Reges Gentium dominantur eorum . . . vos autem non ſic.*

Quod in ſe demonſtravit *Lucæ* 12. *v.* 14. cum cuidam petenti: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*; reſpondit: *Quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?*

Hoc quoque Apoſtoli impleverunt, dum, *Act.* 6. *v.* 2. dixerunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

XV. Nego tamen, priori loco Chriſtum voluiſſe ſeparare officium Paſtoris ab officio Principis; ita ut in nullo ex ſuis iſta conjungi nequirent; ſed illis verbis inſtruere voluiſſe Apoſtolos, tamquam Paſtores, ut non præſint ſubditis more dominantium; ſed more patrum erga filios. Quod clarius expreſſit S. Petrus, Epiſt. 1. c. 5. v. 3. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee . . . Neque ut dominantes in Cleris, ſed ut forma facti gregis ex animo.*

Nego pariter, utrumque locum, quod poſterius affert Calvinus, probare id, quod ipſe intendit. Sed ſolum ibi monentur Paſtores, & Principes; ne minutioribus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora. Hoc modo Jethro cum vidiſſet Moyſen tota die ſedere ad judicandum, prudenter eum admonuit; non quidem ut deponeret principatum ſecularem, & ſervaret ſolum Eccleſiaſticum: ſed ut conſtitueret minores judices, qui ipſum in levioribus cauſis adjuvarent, & ipſe circa graviora occuparetur. De hoc aliqua dixi in Vera Eccleſia *Tom.* 1. *c.* 4. §. 4. per totum, quæ ſtudioſus adire poterit.

§. IV.

Objectiones contra Præfata.

XVI. OBjicies primo. Chriſtus, *Matth.* 10. *v.* 9. Apoſtolis, ait: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas &c.* Et Matth. 6. v. 34. *Nolite* (inquit) *ſoliciti eſſe in craſtinum.* Quibus verbis in Apoſtolis omnes Eccleſiaſticos, & eos præſertim, qui Apoſtolis in munere ſucceſſerunt, alloquitur; ergo ſi Apoſtolis interdicitur poſſeſſio auri, & argenti &c. hæc interdicitur etiam Eccleſiaſticis, maxime Paſtoribus.

XVII. Hiſce teſtibus abutebantur olim Apoſtolici, & Pſeudoapoſtoli hæretici, & adhuc abutuntur Proteſtantes. Ad primum ergo reſpondit S. Thom. 2. 2. qu. 158. art. 6. ad 2. *Quod verba illa Domini poſſunt tripliciter intelligi. Uno modo, myſtice, ut non poſſideamus neque aurum, neque argentum: id eſt, ut Prædicatores non innitantur principaliter ſapientiæ, & eloquentiæ temporali. Ut Hieronymus exponit ſuper illud Matth.* 10. Neque duas tunicas.

Alio modo, ſicut Auguſtinus exponit in lib. 2. *de Conſenſu Evang.* c. 30. *Ut intelligatur, hoc Dominum non præcipiendo, ſed magis permittendo dixiſſe. Permiſit enim eis, ut abſque auro, & argento, & aliis ſumptibus ad prædicandum irent, accepturi ſumptus vitæ ab his, quibus prædicabant. Unde ſubdit:* Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. *Ita tamen, quod ſi aliquis propriis ſumptibus uteretur in prædicatione Evangelii, ad ſupererogationem pertineret ſicut Paulus de ſeipſo dicit*, 1. ad Cor. 9.

Tertio modo, ſecundum quod Chryſoſtomus exponit (homil. 2. in illud Rom. 16. Salutate Priſcillam) *ut intelligatur, illa Dominum præcepiſſe diſcipulis quantum ad illam miſſionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis: ut per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipſius, qui eis abſque ſumptibus provideret. Ex quo tamen non obligabantur ipſi, vel ſucceſſores eorum, ut abſque propriis ſumptibus Evangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur* 2. *ad Cor.* 12. *quod ab aliis Eccleſiis ſtipendium accipiebat ad prædicandum Corinthiis: & ſic patet, quod aliquid poſſidebat ab aliis ſibi miſſum. Stultum autem videtur dicere, quod tot Sancti Pontifices, ſicut Athanaſius, Ambroſius, & Auguſtinus; illa præcepta tranſgreſſi fuiſſent, ſi ad ea ſervanda ſe crederent obligari.* Ita S. Thom.

XVII. Qui hæc omnia pulchre exponit *quodlib.* 12. *artic.* 19. *ad* 1. his verbis: *Verba Matthæi tripliciter exponuntur: Hilarius, & Ambroſius exponunt ſecundum ſenſum myſticum, dicentes:* Nolite portare aurum &c. *ideſt, nihil in ſpiritualibus miniſteriis auro vendatis:* non duas tunicas, *ideſt, non duplicem animam habeatis. Alii exponunt ad litteram. Et una expoſitio eſt Auguſtini, qui dicit, quod illa verba non dicuntur per modum præcepti, ſed permiſſionis: ita quod, qui non ſervat, non peccat, & qui ſervat melius facit; ut ſit ſenſus:* Nolite portare, *ideſt, quando itis ad prædicandum, nolite ſoliciti eſſe de expenſis, quia debentur vobis a populo:* Dignus eſt enim operarius &c. *Quod diceret: ideo permitto, quod non portetis, quia digni eſtis accipere ab aliis, quibus prædicatis. Paulus hoc non ſervavit, & tamen contra regulam hanc non fecit, ſed ſupererogavit. Alia expoſitio eſt aliorum Sanctorum, qui dicunt, quod hæc dicta ſunt præceptive: ſed hoc præceptum datum eſt, non ad ſemper ſervandum, ſed ad primam miſſionem. Bis enim eos miſit, ſcilicet ante Paſſionem Judæis, & poſt Reſurrectionem Gentibus. In prima dixit eis:* In viam Gentium ne abieritis. *In ſecunda dixit:* Docete omnes gentes. *In prima mandavit, quod prædicta ſervarent, non autem in ſecunda. Et ratio hujus eſt: quia in prima ſolum mittebantur ad Judæos, apud quos conſuetum erat, quod magiſtri eorum ab eis ſuſtentarentur: & ideo ſine ſcandalo poterant accipere, & uti poteſtate ſibi conceſſa. Apud vero Gentiles non erat hujuſmodi conſuetudo; quia apud eos non erant hujuſmodi prædicatores: & ideo fuiſſet in eis ſcandalum, & viſum fuiſſet eis, quod pro quæſtu Apoſtoli prædicarent: & ideo Paulus hoc præceptum non ſervavit in Gentibus. Et ideo Dominus in ſecunda miſſione dixit:* Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.

XIX. Ad id, quod ſecundo additur ex *Matth.* 6. dico, non prohiberi aliquid ſervare in craſtinum. Primo. Quia Chriſtus, & Apoſtoli pecuniam ſecum portabant, unde Judas loculos habebat, ut dictum eſt. Secundo. Quia Chriſtus, ſatiatis quinque millibus hominum, juſſit colligi fragmenta. *Joann.* 6. *verſ.* 12. Quid autem colligi juſſiſſet ſi nihil ſervandum eſſet in craſtinum? Tertio, 1. *Corinth.* 16. Apoſtolus fieri in Sabbata collectas jubet, ut inde egentibus diſtribuerentur. Nec tamen omnia, quæ colligebant, eadem die dividebant; ſed aliquid pro neceſſitatibus ſequentium dierum ſervabatur. Unde ait, verſ. 2. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit.* Actorum 11. v. 28. Cum inſtaret fames per Agabum prædicta, quæque poſtea ſub Claudio evenit; dicitur quod diſcipuli prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli mittere ad ſubveniendum indigentiæ fratrum. Demum cum Paulus Romam ad Cæſarem, ad quem appellaverat, ex Aſia navigaretur, *Actor.* 26, *&* 27. nunquid aliquid alimenti pro via non recepit? Nec tamen pro uno ſolo die, cum non uno die poſſet navis ex Aſia Romam tranſmeare.

XX. Igitur dixit Chriſtus: *Nolite ſoliciti eſſe in Craſtinum*, ad amovendam a cordibus eorum ſolicitudinem, unde non dixit nolite ſervare, ſed *Nolite ſoliciti eſſe*. Poteſt autem aliquid in craſtinum ſervari abſque ſolicitudine, imo cum jam ſervatum eſt pro craſtino abit omnis ſolicitudo, ut jam ei non ſit amplius cura de craſtino, ſed de Deo. Vel dicit: *Nolite ſoliciti eſſe*: ne ſcilicet Deo propter terrena iſta adhæreamus, & Deum curæ, ac ſolicitudini terrenorum poſtponamus. Vel, ne hæc primo quæramus, ſed Regnum Dei: unde præmiſit, v. 33. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

XXI. Objicies ſecundo. Non minus a Deo diſtrahit poſſeſſio divitiarum, & terrenorum cura, quam ſtatus conjugalis: ſed ne Eccleſiaſtici a Deo diſtrahantur, arcentur a ſtatu conjugali; ergo etiam a poſſeſſione divitiarum.

Reſpondeo, neg. maj. Magis enim per ſe, & ex natura ſua a Deo dividit ſtatus conjugalis: quia vir debet adhærere uxori. Ait enim Paulus, 1. Cor. 7. v. 33. *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*: debet filiorum educationi incumbere, familiam procurare; præterquam quod munditiam corporalem tollit, actus ſpirituales impedit &c. Quod de poſſeſſione terrenorum non currit. Eccleſiaſticus enim vir ea poſſidere poteſt, ac debet; non ut illis adhærens, neque ut cor in illis figens, nec ut in illis theſaurizans: ſed ut utens eis ad ſui ſuſtentationem, & ut aliorum indigentiis provideat. Quare Eccleſiaſtici, qui divitias habent, tamquam non habentes eſſe debent, & eas de facili proximo egenti diſpenſare. Quod ſi ſecus fecerint, ut non raro contingit, Eccleſiaſticos viros magis divitiis inhiare, quam laicos: hi Chriſti conceſſione abutuntur. Et pro iſtis non ſtamus.

XXII. Objicies tertio. Eccleſiaſtici in nova lege correſpondent Levitis in veteri: ſed Levitæ poſſeſſiones non habebant: Joſue enim 13. ubi legitur terræ promiſſionis facta Diviſio. Tribui Levi nulla portio aſſignata fuit. Dicitur enim, v. 33. *Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, Dominus Deus Iſrael Ipſe eſt poſſeſſio ejus.* Hoc idem legitur, *Num.* 18. *Deut.* 18. *Ezech.* 44. ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Ut enim ſupra dicebamus, Tribui Levi datæ fuerunt Civitates; agros, armentaque poſſidebant. Ita enim præceperat Dominus, Num. 35. v. 2. *Præcipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis: Urbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum: ut ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus, ac jumentis.* Quod legitur fuiſſe impletum, Joſue 21. v. *Dederuntque filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis juxta imperium Domini, Civitates, & ſuburbana earum.* Non igitur præcepit Deus, ne Levitæ quidquam poſſiderent; ſed noluit, eos habere portionem ab aliis Tribubus ſeparatam, quomodo aliæ Tribus habebant, in quibus pars unius erat a finibus alterius excluſa. Levitæ autem, earumque urbes, & ſuburbana, ſicut etiam conjugia, debebant ſingulis Tribubus communicare; ut poſſent ſingulas docere legem Dei, & judicia ejus: quod non adeo faciliter fieri potuiſſet, ſi Levitæ portione, & habitatione ab aliis Tribubus ſejuncti fuiſſent. Et ad hanc formam hodie poſſeſſiones ſuas habet Eccleſia in omnibus Regnis. Ubi enim quodvis Regnum propriis finibus circumſcribitur, aliudque excludit: Eccleſia per omnia Regna, ſicut Sacras, & Spirituales functiones exercet; ita etiam pro ſuis Miniſtris in omnibus Regnis bona temporalia ſibi conſtituta habere debet, ac poſſidere.

XXIII. Objicies quarto. Cum Valentinianus Imperator legem ſanxiſſet, & ad Damaſum Papam miſiſſet, qua Clericis, & Monachis interdicebat, ne quid, ſive donatione, ſive teſta-

ſtamento a devotis mulieribus acciperent, ſive per ſe, ſive per ſubjectam perſonam; quod ſi quid contra hanc legem donatum eſſet, fiſco addiceretur, ut habetur *L. 20. de Epiſcopis & Clericis, Cod. Theodoſ.* hujuſmodi lex nedum improbata non fuit, ſed maxime laudata a SS. Ambroſio, *Ep. 31. ad Valentinianum*, & Hieronymo, *Epiſt. 2. modo 34. ad Nepotianum*. Ea ergo tempeſtate ſentiebant Patres, Clericos, ac Monachos a terrenorum poſſeſſione arcendos eſſe.

XXIV. Reſpondeo neg. conſ. Præfati enim Patres legem Valentiniani laudant, non quia cenſerent Clericos, & Monachos poſſidere, aut ſibi teſtamento legata acquirere non poſſe: ſed laudant, quia latam ad frænandam hypocriſim, & avaritiem Monachorum, & Clericorum: qui eo tempore ſub pietatis fuco avaritiem tegentes, viduarum domos adibant, eaſque inducebant ad donationes, & legata de bonis ſuis ſibi facienda: non ſine gravi Fidelium ſcandalo, & damno eorum, ad quos jure ſanguinis bona illa pertinebant. Hinc S. Ambroſius laudatus Clericos increpans: *Poſſeſſio* (inquit) *Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum. Numerent, quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi ſubſidia miniſtraverint. Prædia igitur intercepta, non jura ſunt.* Et S. Hieronymus ait: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt; ſolis Clericis, & Monachis, hoc lege prohibetur. Et prohibetur non a perſecutoribus, ſed a Principibus Chriſtianis: nec de lege conqueror, ſed doleo, cur meruerimus hanc legem.* De hac lege fuſe tractat Baronius, *ad an. Chriſti 370. num. 118. &c.* videndus.

DUBIUM VI.

Quid, & quotuplex ſit Poſſeſſio: Quomodo acquiratur, & deperdatur.

§. I.

Quid ſit Poſſeſſio.

I. POſſeſſio (ſine qua ſaltem regulariter non acquiritur in re dominium) ſecundum aliquos a *Pedum ſeſſione* dicitur, *Leg. 1. ff. de acquirenda poſſeſſione*. Quia potiſſimus actus, quo rerum immobilium (quæ proprie *res* dicuntur) poſſeſſionem acquirimus, eſt poſitio pedum intra ipſa. Secundum alios vero derivatur a *Pos*, antiquo nomine, quod eſt idem, ac *Potens, & ſedeo*, quaſi *Cum poteſtate ſeſſio*. Quidquid autem ſit de poſſeſſionis Etymologia.

II. Poſſeſſio in genere recte definitur, quod ſit: *Detentio rei corporis, & animi, juriſque adminiculo.* Ita ex *Leg. 1. ff. de Acquirenda, vel amittenda poſſeſſione*. Dicitur *Detentio*, ſive juſta, vel juris: ſive injuſta, vel facti ſolum, ut vidimus. Dicitur *Rei*, ſive corporalis, ſive ſpiritualis. Nam etiam circa res incorporeas, ut Beneficia, & Dignitates; imo etiam ſupernaturales, ut Gratiam, & Gloriam, poſſeſſio dari poteſt. Dicitur *Corporis, & animi adminiculo*. Quia ad poſſeſſionem acquirendam, nec ſufficit ſolus animus, ſeu intentio poſſidendi; ſed etiam requiritur, ut quis rem aliquo modo corporali, ut manibus, pedibus, oculis, aut alio modo a jure conſtituto apprehendat. Nec ſufficit ſola detentio, aut apprehenſio corporis (quæ a Juriſtis appellatur detentio Aſinina) alias quæcumque quis pedibus calcaret, aut manibus apprehenderet, eorum poſſeſſionem acquireret: ſed requiritur ulterius animus, & intentio rem illam faciendi ſuam, & ut ſuam detinendi, hoc eſt ſuo nomine, & auctoritate. Unde Tutor, Depoſitarius, Commodatarius non ſunt proprie poſſeſſores rei pupillaris, depoſitæ, commodatæ; quia non habent animum illas proprio, ſed alieno nomine detinendi.

III. Porro hæc corporis, & animi apprehenſio non requiritur ad continuandam rei poſſeſſionem, ſed ſolum ad poſſeſſionis inchoationem. Unde qui jam per præſentiam corporalem, alicujus rei poſſeſſionem accepit; etſi præſens rei poſſeſſæ non ſemper ſit, continuatur in poſſeſſione, per ſolam animi detentionem. —— Neque requiritur ad ineundam poſſeſſionem, ut omnes partes rei poſſeſſæ corporaliter apprehendantur; ſed ſat eſt, ut apprehendens poſſeſſionem domus, eam intret. —— Neque requiritur, ut poſſeſſor in propria perſona poſſeſſionem acquirat; poterit enim hanc acquirere, & detinere per procuratorem, colonum, ſervum, filium, *ex Leg. Generaliter, ff. de Acquirenda poſſeſſione*, his verbis: *Quiſquis noſtro nomine, nobis volentibus, ſit in poſſeſſione, veluti procurator, amicus, hoſpes, nos poſſidere videmur.*

Tandem dicitur *Juris adminiculo*. Ad quod non requiritur, ut jus poſitive faveat; ſed ſufficit, ut jus poſitive non reſiſtat, & talis rei detentionem non reddat inefficacem ad conſequendos fructus. Quare non excluduntur ab hac definitione poſſeſſiones injuſtæ, & malæ fidei.

§. II.

Quotuplex ſit Poſſeſſio.

IV. POſſeſſio recte dividitur primo in juſtam, ſive in poſſeſſionem juris, & facti ſimul; & injuſtam, ſive in poſſeſſionem facti tantum. Prima eſt: *Inſiſtentia, ſeu detentio rei, tamquam ſuæ, cum jure detinendi.* Secunda vero eſt: *Inſiſtentia, ſeu detentio rei, tamquam ſuæ, ſine jure detinendi.* Differunt autem in hoc; quod poſſeſſio juſta provenit ex legitimo & juſto titulo, & parit poteſtatem, ac jus rem detinendi, ideſt, contra quemcumque invaſorem mediis a jure permiſſis defendendi: ideoque dicitur poſſeſſio facti, & juris ſimul. E contra injuſta poſſeſſio nullum tribuit jus inſiſtendi rei poſſeſſæ, eamque detinendi: & ideo dicitur poſſeſſio facti tantum.

V. Sed dices. Ex dictis poſſeſſio debet eſſe, jure non reſiſtente: ſed poſſeſſioni injuſtæ jura reſiſtunt; ergo poſſeſſio injuſta non eſſet membrum poſſeſſionis.

Reſpondeo, diſt. min. Quatenus injuſta eſt, conc. min. quatenus eſt talis rei poſſeſſio, nego minor. Poſſeſſioni ergo injuſtæ, quatenus injuſtæ, jura reſiſtunt; ideoque ex injuſta poſſeſſione non oritur jus detinendi, ſed potius obligatio illam legitimo dominio reſtituendi. Quatenus tamen eſt poſſeſſio juridice ficta, jura non reſiſtunt. Sit exemplum: ſi quis vi, aut fraude alienum agrum invadit, poſſeſſio eſt injuſta; quia eſt contra jus naturale, & poſitivum, quibus vis, & fraus prohibetur: nihilominus eſt poſſeſſio juridica, quia ager non eſt materia ipſo jure prohibita poſſideri, ſicut ſunt divinæ, & res ſacræ reſpectu laicorum. Unde licet injuſtus poſſeſſor teneatur ad agri reſtitutionem: ex tali tamen poſſeſſione aliquos effectus juris reportat: nempe, quod non poſſit etiam ab ipſo domino, ſine publica auctoritate ex agri poſſeſſione exturbari.

VI. Dividitur ſecundo poſſeſſio in naturalem tantum, civilem tantum, & naturalem ac civilem ſimul. Naturalis tantum eſt, quæ fit corporaliter detinendo rem, quam alius civiliter poſſidet. Civilis tantum eſt, quæ ſolo animo rem detinet; licet enim ad capeſſendam poſſeſſionem corporalis apprehenſio requiratur, ad poſſeſſionem tamen retinendam ſufficit animus rem detinendi. Naturalis vero, & civilis ſimul eſt rei, quæ corpore, & animo, nullo alio civiliter poſſidente, detinetur. Ex his ultima eſt poſſeſſio omnium perfectiſſima: ſecunda perfecta: prima vero imperfectiſſima: Rem declaro exemplo. Titius ex agro, quem civiliter, & naturaliter poſſidebat, egreditur, nullo relicto cuſtode: tunc Titius deſinit agrum poſſidere naturaliter, non tamen civiliter, quia cenſetur habere animum retinendi. Interea Cajus agrum Titii occupat: ſic Cajus dicitur agrum poſſidere ſolum naturaliter, quamdiu Titius animum retinet, nec depoſuit agrum recuperandi. Quod ſi Titius animum etiam agrum recuperandi deſpondeat; Cajus mox incipit eſſe poſſeſſor tam civilis, quam naturalis illius agri.

VII. Ex his colligitur: poſſe ſimul dari duos poſſeſſores ejuſdem rei in ſolidum, ſub diverſa tamen ratione; videlicet, unum naturalem, alterum civilem; ſicut in eamdem rem unus poteſt habere dominium directum, & alius utile: non tamen duos poſſeſſores ejuſdem generis, & rationis, *Lege 3. §. Ex contrario, ff. de Acquirenda vel amittenda poſſeſſione*, ſic: *Ex contrario plures eamdem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt: contra naturam quippe eſt, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.*

VIII. Quæres: Quænam ſint privilegia poſſeſſionis?

Reſpondeo, præcipua eſſe quatuor. Primum, quod poſſeſſio, ſi ſit bonæ fidei, parit præſcriptionem, & media præſcriptione parit dominium. —— Secundum, quod ſi oriatur dubium circa dominium rei, melior eſt conditio poſſidentis; & pro illo ferenda eſt ſententia: quia in pari caſu ei favendum eſt, qui habet ſpecialem titulum, ſicut habet poſſeſſor. —— Tertium, in judicio non incumbit poſſeſſori dominium rei probare, ſed alteri, qui talem rem repetit; quia poſſeſſio ſecum affert præſumptionem dominii. Quartum quod licet poſſeſſori ſuam poſſeſſionem etiam armis tueri, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et hoc non ſolum verum eſt de poſſeſſione naturali, ut ſi alius vellet te e domo ejicere, vel pallium a tuis humeris tollere; ſed etiam de poſſeſſione civili: ut ſi rediens ad tuam domum, eam videres ab injuſto invaſore occupatam, potes armis eum repellere: quia hoc non eſt invadere alium, ſed tuam poſſeſſionem tueri, *Leg. 3. ff. de Vi, & vi armata, C. Olim de reſtit. expoliatorum*, & Leſſius, *l. 2. c. 3. dub. 14.*

§. III.

Quot Modis acquiratur, vel amittatur Poſſeſſio.

IX. CIrca primum reſpondeo, communiter tribus modis acquiri poſſeſſionem: apprehenſione vera, apprehenſione ficta, & legis conſtitutione. Apprehenſio vera eſt, quæ in re corporea fit, manibus, ſi ſit mobilis, ut pecunia; pedibus, ſi ſit immobilis, ut domus, vel ager. Apprehenſio ficta eſt actus, qui conſtitutione, & acceptatione juris habetur pro vera apprehenſione, ejuſque loco ſubſtituitur: ut ſi accipias poſſeſſionem domus per traditionem clavium, vel inſtrumenti; vel agri, per ejus oſtenſionem. Legis autem conſtitutio eſt modus acquirendi poſſeſſionem, ſola legis diſpoſitione, abſque ulla corporis, vel animi vera, aut ficta apprehenſione.

X. Quæres primo: Quandonam requiratur vera apprehenſio.

Reſpondeo, apprehenſionem veram requiri, & fictam non ſufficere. Primo. Quando acquiritur poſſeſſio bonorum, quæ domino carent, & fiunt primo occupantis ea, ut ſunt feræ, theſauri, piſces, gemmæ &c. Unde *L. 2. Inſtit. tit. 1. num. 13. §. Illud*, ſi quis feram vulneraverit, & eam non cœperit non cenſetur illam poſſidere, neque ſuam facere. —— Secundo. Cum depoſitarius vult vi, vel clam depoſitum poſſidere: tunc debet illud apprehendere, & loco movere, *Leg. 3. Si rem, ff. de acquir. poſſeſſ.* —— Tertio. Ut hæres acquirat poſſeſſionem bonorum defuncti; quia domino carent a quo tradantur, *Leg. 2. ff. de Acquir. poſſeſſ.* Si tamen res aliqua capi conſuevit, non per ſe, ſed per aliquid ſui, ut equus per capiſtrum, vinum per dolium; ad veram apprehenſionem ſufficit, ſi illud capiatur per illud, per quod capi conſuevit.

XI. Quæres ſecundo: Quando, & quibus modis contingat apprehenſio ficta?

Reſpondeo, fieri ſeptem ſequentibus modis. Primo. Per oſtenſionem, & viſum rei. Unde Lege: Quod meo ff. de Acquir. poſſeſſ. *Si venditor e turri demonſtret fundum, vacuamque ſe tradere poſſeſſionem dicat; non minus poſſidere cœpi, quam ſi pedes finibus intuliſſem.* —— Secundo. Per traditionem ſcripturæ continentis titulum, & jus poſſeſſionis: quia talis ſcriptura rem ipſam continere cenſetur, *Leg. 1. cap. de Donat.* —— Tertio. Per traditionem clavium ad eum locum, in quo res in contractum deductæ ſervantur, verbi gratia horrei, cellæ vinariæ &c. Sic, *Leg. Clavibus 74. ff. de Contr. empt.* —— Quarto. Per appoſitionem cuſtodiæ rei, quam quis intendit poſſidere, domino conſentiente. —— *Lege: quarumdam rerum ff. de Acquir. poſſeſſ.* —— Quinto. Si ab illo, ad quem transfertur res, obſignetur per ſe, vel per alium, ex *Lege Quod ſi neque 14. ff. de Periculo, & commodo rei venditæ* —— Sexto. Per clauſulam conſtituti: hoc eſt, cum antiquus poſſeſſor, facto contractu, conſtituit ſe poſſeſſorem nomine illius, cui rem alienat, *Leg. Quod meo*, & *Leg. Qui bona fide ff. de Acquir. poſſeſſ.* —— Septimo. Si is, qui rem alienat, ſibi reſervat uſumfructum rei alienatæ, *Leg. Quiſquis argentum, §. Sed ſi quidem, C. de Donat.*

XII. Quæres tertio: Quandonam poſſeſſionem conferat ſola legis diſpoſitio?

Reſpondeo. In Hiſpania, ſola legis diſpoſitione quis ſuccedit in poſſeſſione Majoratus, abſque ulla corporis, vel animi vera, aut ficta apprehenſione: imo neſciente eo, qui in poſſeſſionem introducitur. Ex *Lege 45. Tauri*, apud Covarruvias, *lib. 3. Variarum, cap. 5. num. 6.* Et in Gallia, docet idem Auctor, hæreditas defuncti tranſit immediate ad poſſeſſionem legitimi ſucceſſoris, per ipſam mortem poſſidentis, abſque ullo actu apprehenſionis: ideoque hæc poſſeſſio vocatur Civiliſſima, eſtque præter jus Commune introducta: neque proprie ipſi convenit definitio poſſeſſioni ſupra data.

XIII. Si quæras autem quarto: Quomodo acquiratur poſſeſſio rerum, ſeu jurium incorporalium?

Reſpondeo, comparari, ſeu acquiri per uſum ejuſmodi juris cum ſcientia, & patientia prioris poſſeſſoris: vel per immiſſionem in fundum, in quo eſt ſervitus, factam a poſſeſſore animo cedendi poſſeſſionem. Sic Molina, *diſp. 3.* & alii. Ut tres conditiones requiruntur. Prima: Ut qui utitur jure aliquo, intendat, & credat, ſe uti jure ſuo. Secunda. Ut fiat ſciente, & permittente poſſeſſore, vel illo, cujus intereſt ejuſmodi uſui reſiſtere. Tertia. Ut non poſſit præſumi, quod ille uſus fuerit conceſſus ex gratia, & liberalitate antiqui poſſeſſoris; ſed credatur proprio jure exercitus. Quare ad comparandam alicujus juris poſſeſſionem, aliquando unus actus ſufficit, aliquando plures requiruntur. Unus actus ſufficit, ſi ſit talis naturæ, ut prudentum judicio non ſoleat concedi ex gratia: ut ſi quis Canonicæ electioni cum voce, & ſuffragio interfuerit, juxta Caput *Cum Eccleſia de Cauſa poſſeſſionis &c.* Multo plures autem actus requiruntur ad comparandam ſervitutem itineris per alienum fundum; quia ejuſmodi iter ſæpius concedi ſolet ex gratia.

XIV. Circa ſecundum vero, nempe, modos amittendi poſſeſſionem; Reſpondeo primo. Poſſeſſionem rerum mobilium, ſive immobilium, ſive civilem, ſive naturalem amitti ipſa voluntate, & animo rem poſſeſſam cedendi, aliquo exteriori ſigno manifeſtata; ut ſi eam alteri donet. In pupillis tamen, & furioſis, non ſufficit animus etiam manifeſtatus poſſidentis; ſed requiritur conſenſus Tutoris, & Curatoris, *Leg. Poſſeſſione. Lege: Si is, ff. de Acquir. poſſeſſ.*

XV. Reſpondeo ſecundo, quoad res mobiles poſſeſſionem amitti, Primo. Per furtum, & rapinam. Secundo, Per amiſſionem rei, ut burſæ, vel auri. Tertio, Per fugam, ſi ſit animal non habens conſuetudinem revertendi. Poſſeſſio autem ſervi per ejus fugam non amittitur, *Leg. Pomponius ff. de acquir. & amitt. poſſeſſ.* Quarto, Si res alterius cuſtodiæ concredita, ut depoſitum, commodatum, detinetur animo non reſtituendi, ſed detinendi ut ſuam, *Leg. 3. Poſſideri, ff. de Acquir. poſſeſſ.*

XVI. Reſpondeo tertio, rerum immobilium poſſeſſionem deperdi. Primo, Per longam poſſeſſoris abſentiam, qui nec per ſe, nec per alium rei inſiſtat, aut non proteſtetur, ſe nolle dimittere poſſeſſionem. Quodnam vero tempus longum judicetur: alii decennium arbitrantur, alii plures, alii prudentum judicio relinquunt. Secundo, Si ſciens, rem ſuam ab alio eſſe poſſeſſam, illam negligat recuperare. Tertio, Si res ita ab alio ſit occupata, ut non ſit probabilis recuperatio, vel etſi ad recuperandam inſiſtat, repulſus non audeat reſiſtere. Quarto, Per longam oblivionem, *Leg. Furtum, ff. de Uſucapionibus*. Vel ſi neſciat, rem illam eſſe ſuam, vel eam inter ſua bona non computet; quia tunc animi adminiculo eam non detinet. Quinto demum, Si de rei recuperatione deſperet: ut ſi illa ſit occupata a nimis potente, ſi aquis merſa, vel continuo inundata.

XVII. Ex uſque modo dictis, patere poteſt, magnam eſſe differentiam inter acquiſitionem poſſeſſionis, & dominii; diſtincta enim ſunt, reparabilia, & diverſos effectus, & actiones juris pariunt. Unde actio, quæ eſt de dominio, & proprietate rei, dicitur *de Petitorio*: quæ vero eſt de poſſeſſione, dicitur *de Poſſeſſorio*. Et neque acquiſita rei poſſeſſione, idcirco acquiritur dominium, nec illa amiſſa perditur dominium: ſicut nec acquiſito dominio, eo ipſo quoque acquiritur poſſeſſio.

QUÆSTIO VI.

De Modis acquirendi Dominium.

POſt factam communi hominum conſenſu, & jure Gentium rerum diviſionem, atque ideo dominiorum acquiſitionem; res acquiſitionis dominii capaces, ſunt in triplici differentia. Vel enim actu ſunt dominio alicujus ſubjectæ, vel etiamnum ſunt indiviſæ, ſeu necdum occupatæ; vel dominum aut poſſeſſorem, quem habebant, amiſerunt. Dominium rerum primæ conditionis traditione, & translatione acquiri, certum habemus. At res ſecundæ, & tertiæ conditionis variis modis, juxta Legiſperitos, ſub dominio veniunt: puta occupatione (cujus ſunt venatio, aucupium, piſcatio) inventione, alluvione, acceſſione, commixtione, formatione, uſucapione, ſeu præſcriptione. De his in præſenti quæſtione agendum erit.

DUBIUM I.

De Venatione, Aucupio, Piſcatione.

§. I.

De Animalibus Manſuetis.

I. VEnatione capiuntur feræ, piſcatione piſces, aucupio aves, quæ omnia animalia ſunt. Ex his tamen alia ſunt natura ſua manſueta, ut oves, gallinæ, canes &c. alia natura fera, & ſylveſtria: & ex his aliqua interdum manſueta facta, ut cervi, falcones, & aliqua venatione, aut aucupio capta, quæ hominum induſtria manſueſcunt. Alia ſuæ naturali libertati relicta, ut feræ in ſylvis, & montibus, piſces in lacubus, in fluminibus, in mari. Alia vero concluſa, ut piſces in ſtagnis, & piſcinis, feræ, & aves in aliquo certo loco clauſæ. Hic de animalibus venatione capi ſolitis tantum agemus.

II. Dico primo. Animalia domeſtica, & ex natura ſua manſueta, etſi egrediantur e cuſtodia ſui domini, & longius abeant, non eximuntur ab ejus dominio. Ita habetur *Inſtit. L. 5. §. Gallinarum, ff. de Acquir. rerum dominio*. Et ratio eſt. Quia illa ſola animalia fiunt primo occupantis, quæ libera ſunt: ſed ejuſmodi animalia, utpote ex natura ſua domeſtica, & intra moralem poteſtatem ſui domini conſtituta, non cenſentur libera; ergo &c. Quare ovis ex lupi faucibus erepta, quamvis mortua, eſt ſuo domino reſtituenda, per legem citatam.

III. Dico ſecundo. Animalia natura ſua fera, ſed hominum induſtria manſuefacta, tandiu manent ſub dominio ſui domini, quandiu habent conſuetudinem redeundi, vel quæſita facili negotio reduci poſſunt: amiſſa vero conſuetudine revertendi, & ſpe ea recuperandi, fiunt primo capientis. *Inſt. §. Pavonum de Rer. diviſ.* & ratio eadem eſt. Quia in priori caſu non cenſentur extra poteſtatem moralem ſui domini conſtituta, ſuæque libertati naturali reddita. At in poſteriori judicantur ad nativam libertatem rediiſſe, ac nullius domini eſſe; ac proinde fiunt primo capientis. Quare animalia e vivariis fugientia, ſi non ſit ſpes redeundi, eaque recuperandi, fiunt primo capientis, ut ſi perdices, aves, phaſianæ avolent: ſi ex alluvione, vel rupta crepidine, piſces ex ſtagno, vel piſcina in flumen tranſeant: ſi rupto, vel tranſcenſo muro cervi, damæ in ſylvam fugiant: tunc enim redeunt ad naturalem libertatem. E contra peccaret contra juſtitiam, qui ejuſmodi animalia piſcinis, ſeptis, vivariis, caulis concluſa caperet: ſi quidem ut ſic jam ſunt occupata, & habent pro domino illum, qui ea ibi concluſit.

§. II.

De Feris Sylveſtribus.

IV. DIco tertio. Animalia ſylveſtria quæ, domino carent fiunt primo occupantis; & tamdiu manent in ejus dominio, quamdiu intra illius cuſtodiam coercentur, *Leg. 3. 4 & 5. ff. de Acquir. rer. domin.* Et *§. Feræ, Inſtit. de rer. diviſ.* Et ratio eſt. Quod enim nullius eſt, fit primo occupantis; occupatio enim poſſeſſionis vim habet: & hoc ipſo quod quis rem nullius occupat, acquirit jus ſuper illam ab alio independens.

V. Dices. Contingere poteſt, ejuſmodi animalia ſylveſtria capi in fundo alieno: ſed tunc videntur eſſe ſub dominio domini illius fundi; ergo non fiunt primo capientis. Min. probatur. Nam dominus illius fundi poteſt juſte prohibere, ne quis feras, aut aves in ſuo fundo capiat; ergo habet jus &c.

VI. Reſpondeo, nego minor. ad probat. diſt. conſeq. Habet jus in fundum, conc. conſeq. In feras, neg. conſeq. Poteſt quidem dominus fundi prohibere, ne quis ingrediatur ſuum fundum ad capiendas feras, vel aves ratione dominii quod habet in fundum; non vero ſupra aves, vel feras ejus fundum ingreſſas. Quare ſi quis contra mandatum domini ingrederetur ejus fundum, ibique feras, aut aves caperet, ſibi caperet; neque eas domino fundi reſtituere teneretur, ſed ſolum damnum, ſi quod intulit, in tali fundo ex venatione. Sic *Leg. Quod enim ff. de Acq. rer. domin.* ubi dicitur: *Neque intereſt quoad feras, beſtias, & volucres, utrum in ſuo quiſque fundo capiat, an in alieno.*

VII. Hinc fit, quod cum flumina alienum fundum operiunt, piſces, qui ibi capiuntur, non ſunt domini fundi; ſed ſunt capientis, licet poſſit fundi dominus prohibere ingreſſum. Si tamen illius fundi fructus conſtaret ex venatione, aucupio, vel